



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Syntaxis Historiæ Evangelicæ

Cope, Alan

Lovanii, M.D.LXXII.

45. Sanatur famulus Ce[n]turionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47925](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47925)

S. Mattheus.

S. Marcus.

S. Lucas.

S. Iohannes.

**C**VM autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens, Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Iesus, Ego veniam, & curabo eum. Et respondens Centurio, ait, Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, vade, & vadit: & alij, veni, & venit: & seruo meo fac hoc, & facit. Audiens autem Iesus, miratus est: & sequentibus se dixit, Amen dico vobis non inveni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno celorum: filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni, Vade: & sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora. \* 28.

CAP. 46.

**C**VM autem impleset omnia verba sua in aures plebis, intrauit Capharnaum. Centurionis autem cuiusdam seruus male habens, erat moriturus, qui illi erat pretiosus. Et cum audisset de Iesu, misit ad eum seniores Iudeorum, rogans eum, ut veniret, & saluaret seruum eius. At illi cum venissent ad Iesum, rogabant eum sollicitè, dicentes ei, Quia dignus est ut hoc illi prestes. diligit enim gentem nostram, & synagoga ipse edificauit nobis. Iesus autem ibat cum illis. Et cum iam non longe esset à domo misit ad eum Centurio amicos, dicens, Domine, noli vexari. Non enim sum dignus, ut sub tectum meum intres. propter quod & meipsum non sum dignus arbitrarè ut venire ad te: sed dic verbo, & sanabitur puer meus. nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, vade, & vadit: & alij, veni, & venit & seruo meo, fac hoc, & facit. Quo audito, Iesus miratus est: & conuersus, sequentibus se turbis, dixit, Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inveni. Et reuersi qui missi fuerant, domum: inuenerunt seruum, qui languerat, sanum. \* 46.